patriae caelestis introducimur. Aptissime designant et apo-
stolorum atque uirorumque apostolicorum figuram tenent quibus cla-
ues regni caelorum sunt dictae. qui accepta a domino potestate alligandi
atque soluendi. et dignos intrare regni ianuam admittunt. et contra
maculosos impuros ac superbos. excommunicando uel anathematizan-
do. ab ingressu uitae perennis eliminant. Sed et opera iustitiae
quorum merito ad regnum caeleste peruenitur. Recte hostia
per quae intra sanctorum ingredi debeatur. possunt typice designari.
iuxta quod in libro sapientiae scriptum est. Custoditio autem
legum consummatio incorruptionis est. Incorruptio autem facit
proximum deo. concupiscentia itaque sapientiae deducit ad regnum
perpetuum. Quibus omnibus apte congruit quod eadem ostiola de lignis
fiunt oliuarum. quia nimirum et angeli et homines perfecti fructu
misericordiae. et operibus lucis sese in domo dei gloriosos exhibent.
Immo omnes electi per carismata lucis et pietatis aditum sibi patriae
caelestis aperiunt. Duo sunt autem ostiola. sicut quia deum et proximos
diligunt. et angeli et homines sancti. neque ianuam uitae nisi per ge-
minae huius dilectionem possunt intrare. siue quia utrisque po-
puli fidelibus. Iudaeis uidelicet et gentibus. eadem uitae ianua resera-
tur. Postes habent angulorum quinque; quia non solum animas
electorum aula caeli recipit. Sed et corporibus inmortalitatis gloria
redditur in iudicio sua et foris aperuit. Quinque autem sensus corporis nostri.
quorum et supra meminimus. uisus. auditus. gustus. olfactus.
tactus. Vel certe portas utrasque oraculi facitur cubitorum quinque.
quia soli illius supernae patriae introitum percipiunt. qui
omnibus sui corporis et cordis sensibus domino seruire studuerunt. Cor-